Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35165
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar

Penelopen absens solers torquebat ulixes
Philacides aberat laodomia tuus
Sed mora tuta brevis lentescunt tempore cure
Vanescitque absens et novus intrat amor
Dum menelaus abest helene ne sola iaceret
Hospitis est tepido nocte recepta sinu
Quis stupor hic menelae fuit tu solus abibas
Hisdem sub tectis hospes et uxor erant
Accipiter teneras credis furiose columbas
Plenum montano credis ovile lupo
Nil helene peccat nil hic committit adulter
Quod tu quod faceret quilibet ille facit
Cogis adulterium dando tempusque locumque
Quid nisi consilio usa puella tuo
Quid faciat vir abest et adest non rusticus hospes
Et timet in vacuo sola cubare thoro
Videat atrides helenam ego crimine solvo

157v